UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ambrosius Calepi/||nus Bergomates: professor de||uotus ordinis Eremitarum sancti Au/||gustini: Dictionum latinarum e greco || pariter diriuantiu[m]: earu[n]de[m]q[ue] interpre/||tationu[m] collector ...

Calepino, Ambrogio

[Wien], 1512

VD16 VD16 C 227

B ante D

urn:nbn:de:hbz:466:1-97871

Visual Library

noīe Juglandē appellamus. Uide in dictione Ju-
glans. Celſus Emplaſtrum ob excellētiam baſilicon
dictum ſcribit.

Baſilicus a um: regius ſiue regalis dicit̄. Un̄ Plau.
in cap. Baſilicas editiones atq̄ imperioſas habet.
Et in pſeu. Baſilicus ſtatus ⁊ baſilicus victus. i. re-
galis ⁊ excellēs in Perſa. Et baſilica facinoꝛa ꝓ re-
gia. Idem. Baſilicę oꝛnatus incedit et fabꝛę ad falla
ciam: id eſt regie et excellenter.

Baſileus: ſuſtentamentū populi dicit̄. Ob hāc cauſam
rex dicit̄ apud gręcos: ꝙ tanq̄ baſis populum ſuſti-
net. Quanto em̄ quis magis pręponitur: tanto am-
plius pondere laboꝛum grauatur.

Baſilicanus: dicitur cuſtos baſilicę.

Baſiliſcus genus ſerpentis: ꝙ in capite album habeat
inſtar diadematis: Uel ꝙ reliqua ſerpentiuꝫ genera
eius virus fugiant. Hunc Reguluꝫ vocant qui teſte
Pli. lib. viij. in ſolitudinibus aphꝛicę habitat cū can-
dida in capite macula: velut quodā diademate adoꝛ
natus. Acutiſſimū habꝫ caput: rubeos oculos ⁊ colo
rem ad nigredinē vergentem.

Baſilia inſula in oceano ſeptrionali: imenſę magnitudi
nis quę diſtat a ſcytharum littoꝛe tridui nauigatione:
vt ait Plinius lib. iiij.

Baſterna vehiculuꝫ itineris: quę mollibus ſtramentis
cōpoſita a duobus animalibus depoꝛtatur.

Baſternę: populi vltra danubium.

Baſilidij: ſunt populi ſcythię europę: vt Pompe. re-
fert qui ab Hercule deſcenderunt.

Baſſaris is vel idis: bacchi ſacrificula: a baſſareo bac-
cho qui baſſareus dict᷒ eſt a veſtis genere quā indue
batur quę baſſaris dicebat̄: vt inquit Poꝛphirio quę
plane veſtis vſq̄ ad pedes fluebat. Statius. Si de-
cet aurata bacchū veſtigia palla Uerrere. Et a beſſa
reo lydie loco cognominata eſt. Hoꝛa. lib. car. Non
ego te candide baſſareu inuitum quatiā. Rurſus baſ
ſaris vacca mulſaria dicitur. Perſius. Et raptum vi
tulo caput ablatura ſuperbo baſſaris.

Bathauia: Germanię pꝛouincia quę nunc Bauaria di-
citur ⁊ bathauiū oppidū a βατύ quod altum ſignifi
cat. Hinc bathauus a um. pe. indifferēte. Luc. lib. j.
Uangiones bathauiq̄ truces q̄s ęre recuruo: Stri-
dentes acuere tubę. Coꝛ. Tacitus de ſitu Germanię
Omniū harum gentiū virtute pręcipui bathaui non
multū a ripa inſulam rheni colunt.

Batrachus pe. coꝛ. rana ⁊ nomen pꝛopꝛiū ſculptoꝛis ⁊
quidā cyrenaicus poꝛtus.

Batrachoꝛaymachia: ranarū ⁊ muriū pugna.

Batris genus vaſis lōgioꝛis manubꝛij: quod alij Trul
lam appellant.

Batus vt ſcribit Hiero. genus menſurę eſt q̄ apud he-
bꝛęos dicit̄ Bath decima pars choꝛi eſt: ⁊ de ſpecie-
bus tm̄ liquidis dicitur vini olei ⁊ hmōi. Ser. de pō.
Continet amphoꝛā vnam. Batis vero genus herbę
eſt aculeatę ſponte naſcentis: quę ⁊ marina eſt ⁊ hoꝛ-
tenſis. Et Batus nomen viri ꝓpꝛiuꝫ eius q̄ Cyrenē
condidit: qđ lingua libyca regē ſignificat.

Battus per duplex tt. nomen eſt paſtoꝛis.

Batuo is: virgis verbero. Plau. in Caſi. Qui q̄ſo po-
tius q̄ ſculponeas quibus batuatur tibi os ſenex ne
quiſſime. Sue. de Calig. Mirmilonē e Indo rudi-
bus ſecum batuentē ⁊ ſponte pꝛoſtratū confodit fer-
rea ſica. Cic. Peto: trāſtulit ad rem obſcenam cū in-
quit. Equidem iam etiā obſcena verba pꝛo obſcenis
ſunt. Batuit enim impudēter: depꝛeſſit multo impu-
dentius. At qui neutrum eſt obſcenum.

Batillus: quoddā ignis receptaculū ferreū quo pꝛuna
colligitur ad ſimilitudinem pale A neotericis berna
cius dicitur quo pꝛunas et cinerem e foco tollere ſo-
lemus vt alio trāſferamus. Apitius de petaſone. Et
Armillam inquit illius candenti batillo vꝛis: ⁊ mel-
le contegis. Et de diuo Laurentio ſcribitur. Allati
ſunt batilli cum pꝛunis. Hiero. lib. Numeroꝝ gene
re neutro vſus eſt. Ignium receptacula fuſcinulas ⁊
tridentes vncinos ac batilla. Battillum etiaꝫ ruſtici
vocant ferreum inſtrumentum quo ad ſulcos: elices
foſſaſq̄ in agris faciendas vtuntur. Item Battillus
ſignificat fere bꝛacteam ⁊ laminam. Unde nos vul-
go quoq̄ ferrū tali foꝛma noīamus batillum.

Bathyllus cum th. aſpirato et y gręco fuit nomen ado
leſcentis. De quo Hoꝛa. in Epo. Non aliter ſamio
dicunt arſiſſe bathyllo anacreonta teium.

Bathynon interpꝛętatur pꝛofundum.

Baubare: ficticium verbum a voce canum cum latrāt:
bau bau facientes. Lucil. lib. v. Et cum deſerti bau-
bant in ędibus omnes.

Bauli: villę nomen eſt quę inter pꝛomōtoꝛiū Miſenuꝫ
baiarūq̄ lacum flexo mari alluitur. Seruius cauſam
nominis inde factam memoꝛat: ꝙ olim Hercules iu
xta baias fecit caulam bobus: ⁊ eam ſępſit: Qui lo-
cus pꝛimo baulia dictus: mox dici cępit bauli

B ante D

Bdellium: arboꝛ nigra magnitudine olęę: folio et robo
re ſimilis capꝛifici. Naſcitur i bactrianis: vt Plini᷒
libꝛo. xij. ſcribit. Cuius etiam ſuccus bdellium dicit̄.

B Ante E

Beati a bene habendo dicti ſunt. Qui ſint dicendi bea
ti. Sene. lib. vj. epiſt. declarat his verbis. Hoc nos
doce beatū non eū eſſe queꝫ vulgus appellat: ad quē
pecunia magna confluxit: ſed illum cui bonum omne
in animo eſt erectum et exciſum et mirabilia calcan-
tem: qui neminem videt cum quo ſe cōmutatum ve-
lit: qui hominem ea ſola parte exiſtimat qua homo
eſt: qui natura magiſtra vtitur: ad illius leges com-
ponitur: ſic viuit quomodo illa pręſcripſit: cui bona
illa nulla vis excutit: qui mala in bonum conuertit:
certus iudicij: inconcuſſus: intrepidus: quem aliqua
vis mouet: nulla perturbat: quem foꝛtuna cum in eū
quod habuit telum nocentiſſimū vi maxima intoꝛſit
pungit non vulnerat. Cicero lib. v. tuſcu. Nos exiſti
mo beatos: qui ſint in bonis nullo adiuncto malo.
Apul. lib. de philoſophia. Illum omnibus beatum
videri cui et bona ſuppetunt: et quēadmodum carę-
re vitijs debeat callet. Fęlices dicuntur bonoꝛū om-
nium compotes. Alię quoq̄ res beatę fęliceſq̄ dici
poſſunt: vox beata: id eſt plęna ac perfecta. Et vocis
fęlicitas apud Quintil. Interduꝫ ponitur beatus ꝓ
nobili Hoꝛa. lib. car. Neſcias an te generum beatę
phillidis flauę. Huius diminutiuum eſt Beatulus.
Perſius. Tandemq̄ beatulus alto cōpoſitus lecto.

Bebꝛycium ſiue bebꝛyacum: vicus eſt inter Cremona
et Ueronam qui vulgo dicitur Labina. clarum dua
bus cladibus romanoꝛū. Coꝛnelij ⁊ tacij. In eo Ui-
tellius cum Othone conflixit. Coꝛ. Tacitus. Eo die
quo bebꝛiaci certabatur auem inuſitata facie apud
regium lepidi celebꝛi luco conſediſſe in colle vt me-
moꝛant: nec deinde cetu hominum aut volantium
alitum territam pulſam ve donec Otho ſeipſe in-
terficeret.

Bebꝛycia regio: quę vt Saluſtius docet maioꝛ phꝛy-
gia dicta eſt. A qua Bebꝛycius a um. ⁊ Bebꝛyx icis
pe. indifferente Ual. Flaccus lib. ij. Bebꝛycis ⁊ ſcy-
thici pꝛocul inclemētia ſaxi. Luc. lib. vj. Pinguis be
bꝛycio diſceſſit vomere ſulcus. Sil. lib. iij. Poſſeſſus
baccho ſeua bebꝛicis in aula.

Beelzebub Idolū fuit Accaron: quod in regū volumi-
ne vocat̄ Idolū muſcę. Beel ipſę eſt Bel ſiue Baal-
zebub muſca. Et interpꝛętatur vir muſcarū.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN